

Elfter Jahresbericht

über das

Domgymnasium zu Colberg

und

die damit verbundene

Realschule 1. Ordnung

womit zu den

öffentlichen Prüfungen am 20. und 22. März 1869

und

dem Redeactus und der Entlassung der Abiturienten am 23. März

ehrerbietigst einladen

Director und Lehrer-Collegium.

Inhalt:



COLBERG 1869.
Druck der C. F. Postschen Buchdruckerei.

De vi et usu vocabulorum bundus finitorum commentatio.

Vocabulorum in bundus desinentium quae esset derivatio, quae significatio, quae junctura et structura, permulti quidem, quum consuetudini Latini sermonis cognoscendae operam darent, jam inde ab antiquissimis temporibus quaesiverunt; sed ne recentissimi quidem artium grammaticarum auctores, aliorum fide atque auctoritate plerumque stantes et errores temere per manns tradentes, rem inchoatam expediverunt et absolverunt. Nec vero me praeterit, quam copiosam exemplorum supellectilem Guntherus et Leo Meyerus magna diligentia comparaverint: tamen ne Guntheri illam silvulam, quam Rudimannus in librum suum transtulit, satis tutam putaveris, in quam sine pericnlo te recipias; neve luculentam alterius congeriem omnibus partibus expletam existimaveris: quippe neglexit enim Meyerus non pauca et omnia tamquam ex loco superiore egit.[1]) Cetera, quae traduntur, Rudimanno debentur,[2]) viro quondam doctissimo sed qui in magno opere contexendo, quid ubique certum esset, non satis exploraverit. Quae quum ita sint, operae pretium facturus esse mihi videor, si et grammaticorum sententias, ut potui, inter se contulerim, et veterum scriptorum usum excutere animum induxerim. Primum enim vocum ita derivatarum numerum perexiguum esse docebo, in quibus ipsis licentia utentium arctissimis vinculis circumscribatur; deinde obscuritati et dubitationi, in qua origo omnium versatur, lumen adhibere studebo; postremo, siquidem principalis significatio non demonstratur, usus vix divinatur, a novis formationibus deterrere conabor.

Jam initio mirari satis non possum, quid sit, cur Reisigius, qui gravissimus Latine loquendi auctor et magister merito laudatur, confidentius quam verius docuerit, vocabula bundus finita maxima ex parte locupletium auctorum testimoniis commendari.[3]) Neque enim, qui memoria repetivit, quam non classici, quos vocant, scriptores vocum ea productione auctarum studiosi fuerint, illi sententiae suffragabitur; neque ipse tali artifici refragari auderem, nisi brevi probaturus essem, ex centum fortasse participialibus, quae in veterum libris inveniuntur, praeter viginti aut summum triginta omnia deterioris notae esse. Ac primum quidem vetustissimi illi scriptores, qui temporibus bellorum Punicorum magis morum integritate et ingenii dexteritate quam orationis facultate et inventionis sollertia floruerunt, multa nova et inaudita commenti sunt, quae tamen, quod informi situ premerentur, non modo Horatius fastidiebat, sed etiam Quintilianus removebat.[4]) Quintiliani praeceptum ad totum genus pertinet et maximi momenti est. Etiamsi potest videri, inquit, nihil peccare, qui utitur his verbis, quae summi auctores tradiderunt, multum tamen refert non solum, quid dixerint, sed etiam, quid persuaserint; neque enim *tuburchinabundum* et *lurchinabundum* jam in nobis quisquam ferat, licet Cato sit auctor, — — — nec collos mihi Calvus persuaserit; quae nec ipsi jam dicerent. In eandem sententiam Gellius disputavit, quum narraret Laberium in lacu Averno mulierem amantem verbo inusitatius ficto *amorabundam* dixisse et adderet Caesellium Vindicem in antiquarum lectionum commentario de ea figura scripsisse.[5]) Deinde hoc in numero omnia habenda sunt, quae grammatici, quod non jam in usu erant, collegerunt et explicaverunt. Quo ex genere primum est *hinnibunde*, quod nusquam alibi inveneris nisi apud Novium, qui Quadrigarium semel ita locutum esse testatur.[6]) Tum *deplorabundus*, quod semel quidem apud Plautum legitur, sed apud alium scriptorem non invenitur; quamobrem a Nonio excipitur.[7]) Eadem nota dignae sunt voces *lascivibundus* et *verberabundus*, quibus alii nunquam, Plautus semel usus est.[8]) *Ridibundus* Hertzius in loco Gellii ut spurium uncinis includendum curavit; apud Festum est in loco mutilato; apud Paulum Diaconum Muellerus ridibundus, Lindemannus rudibundus edidit; sine varietate semel apud Plautum legitur.[9]) *Lixabundus*, cujus Paulus Diaconus et Isidorus mentionem faciunt, tam dubium est, ut Forcellinius ad emendationem confugere, non dubitet et luxabundus potius scribendum esse suspi-

---

[1]) Kuhn annal. tom. VI p. 377 seqq. — — [2]) instit. gramm. (cur. Stallbaum.) P. I p. 309. — — [3]) Vorles.... p. 168. — — [4]) Hor. Ep. II, 2, 118; Quint. I, 6, 42. — — [5]) XI, 15, 1. — — [6]) p. 552, 411 G. — — [7]) Plaut. Aulul. II, 3, 38; Non. p. 770, 37. — — [8]) fragm. 30 M; Stich. II, 1, 16. — — [9]) Gell. XI, 15, 2; Fest. p. 154, 113; Paul. D. p. 155, 2. Plaut. Epid. III,3, 32.

cetur. Laurenbergius quidem in antiquario Plautum profert, cujus verba sint: Qui famam tuam lixabundus et nomen foedas; sed versum ejusmodi recentiores lexicorum conditores aut non cognoverunt aut non agnoverunt.[10]) *Negibundus* sive, ut nonnulli codices exhibent, *negabundus*, Festus Catoni attribuit;[11]) *mussitabundus* ex glossemate pendet. Utrum autem *vertilabundus* an *ventilabundus* scribendum sit, non satis constat; nescio, an neutrum, nam in eo loco Varronis, ubi alterumutrum legi dicebatur, adverbium abunde substitutum videmus.[12]) Nonnulla, quae Naevius, Ennius, Lucretius procuderunt, Augusti aequalibus erant offensioni, in vitium vergentibus commendationi. *Cassabundus* Naevii vel Ennii est, tum Macrobii;[13]) *meditabundus* Catonis et Justini;[14]) *versabundus* Lucretii et Vitruvii.[15]) Vitruvius enim, quamvis Caesaris et Augusti aetati conjunctus fuerit, tamen infimae Latinitatis est, sermone putido et plebejo insignis. Denique de cassabundo causa dubitandi injicitur, quoniam et casabundus et crassabundus editur. Sed casabundus a Lindemanno e codice sublestae fidei profertur, quum et Varro formam cassabundus tueatur,[16]) et Quintilianus Ciceronem s literam mediam vocalium longarum vel subjectam longis geminasse tradiderit.[17]) Crassabundus Placidi glossis innititur, qui de tali monstro verbi hunc in modum asseverare non veritus est: *p. 447.* Crassabundum, dubitantem, titubantem, et p. 450 iterum: crassabundo titubanti.

Et quoniam apertum est verbalium ab hominibus casce nimis et vetuste loquentibus fictorum maximam partem portentosam et ridiculam esse, proximum est, ut ea adjiciantur, quae assidui scriptores ab antiquioribus acceperint et servaverint. A prioribus enim aetate posteriores non multa mutuabantur, propriis copiis affluentes et Graeca potius sibi imitanda sumentes: tamen tritissima ex ultimis tenebris repetenda sunt. *Moribundus,* jam Plauto non ignotum[18]) omnique tempore usitatum, in Italorum moribondo, Francogallorum moribond revixit. Itemque etiamnunc apud Italos tremebondo auditur; *tremebundum* ipsum sive *tremibundum* Lucretius prodidit; Cicero et, qui de inventione ad Herennium disputavit, receperunt; Ovidius et Virgilius usurpaverunt; Silius et Claudianns retinuerunt.[19]) *Ludibundus,* quod nobis ad Plautum referendum est, Ciceronis, Livii, Curtii, Gellii libris inhaesit.[20]) *Furibundus* et Lucretii optimorumque poëtarum et Ciceronis atque Sallustii sermone celebratur neque a posteriorum consuetndine abhorret.[21]) *Fremebundus* Attii est, cujus locum Cicero ad suam sententiam demonstrandam laudat; tum Ovidii et omnium poëtarum.[22]) *Errabundus* primum Lucretius habuit, tum non modo Virgilius sed etiam Livius, auctor belli Africani, Curtius, Suetonius.[23]) *Populabundus,* ut Gellius auctor est, jam apud Sisennam, saepissime apud Livium invenitur.[24])

Quae Cicero novavit, paucis absolvuntur. Vocem *noctuabundus* in epistolis animi causa fabricatus est, ut sullaturit et facteon. *Volutabundus* in iis libris, quos de republica inscripsit, semel extat et, quia apud alium non reperitur, a Nonio notatur,[25]) *Queribundi* fundus apud Ciceronem deprehenditur; ex aequalibus nemo, ex iis poëtis, qui invita Minerva Vespasiani et Trajani temporibus magna opera compilaverunt, C. Valerius Flaccus et C. Silius Italicus id in usum receperunt.[26]) Plura Livius elatiori suo et paene oratorio dicendi generi accommodavit et maximam partem posteritati propagavit. *Deliberabundus* tamen, et id quidem bis cum particula velut conjunctum,[27]) *mirabundus* aliquoties,[28]) *peregrinabundus* et *tentabundus*[29]) semel apud eum solum leguntur. Alia, quae finxit, rerum gestarum pronuntiatores frequentaverunt: *comissabundus* sive *comessabundus,*[30]) *concionabundus,*[31]) *cunctabundus* sive *contabundus*[32]) *gratulabundus,*[33]) *indignabundus,*[34]) *minitabundus,*[35]) *venerabundus.*[36]) *Praedabundus* et *vitabundus* Sallustio cum Livio et Tacito communia sunt.[37]) *Pudibundus,* Horatii et Ovidii auctoritate munitum, argentea, quam vocant, aetate et per versus et per pedestrem sermonem vagabatur.[38]) *Sudabundus* e carmine ad Pisonem affertur, quod a quibusdam Ovidio tribuitur.[39]) *Gemebundus* huc non ascripserim; nam illo loco Metamorphoseon Ovidii, ubi olim reperiebatur, nunc fremebundus, aut tremebundus editur.[40])

---

[10]) Paul. D. p. 116, 19 c. adn; Laurenberg antiq. (Lugd. Bat. 1612) p. 256. — — [11]) Fest. p. 165, 1 B; Paul D. p. 164, 6. — — [12]) Non. p. 686. — — [13]) Ribbeck, com. lat. p. 23; Macrob. sat. V, 21- — — [14]) R. R. III, 5, 12; Justin XXVIII, 3, 1. — — [15]) Lucr. VI, 448; Vitr. IX, 7 med. — — 16) L. L. VII,5 3. — — [17]) I, 7, 20. — — [18]) Plaut. Bach. II, 2, 15. [19]) Lucr. I, 96; Cic. dom. 52; auct. ad Her. III, 14, 25; Ov. Met. IV, 133; Virg. Aen. X, 522; Sil. II, 648; Claudian. d. raptu Pros. III, 265. — — [20]) Plaut. Pseud. V, 1, 149; Cic. Verr. II, 3, 67; Liv. XXIV, 16 14; Suet. Ner. 36; Gell. III, 5. — — [21]) Lucr. VI, 364; Hor. Ep. I, 10, 17; Virg. Aen. IV, 646; Ov. Met. IV, 511; Cat. 61, 31; Prop. V, 8, 52; Cic. Phlil. XIII, 9, 19; Sall. Cat. 31, 9; Sil. I, 454; Stat. Theb. X, 896. — — [22]) Cic. N. D. II, 35, 89; Ov. Met. XII, 128; Sil. III. 463. — — [23]) Lucr. 11, 692; Virg. Ecl. VI, 58; Liv. I, 29, 3; Curt. VIII, 4, 6; B. Afr. 21, 3; Suet. Caes. 31; Gell. XI, 15, 2. — — [24]) Gell. XI, 15,7; Liv. I, 15, 1; II, 60, 2; III, 3, 16; IV, 21, 7; 33, 9; 45, 8; 56, 5 et saepissime. — — [25]) Att. XII, 1, 12; I, 16, 3; IX, 10, 6. — Republ. II, 41; Non. p. 760, 64. — — [26]) Cic. Sall. 10, 30; Val. Fl. VII, 126; Sil. XIII, 583. — — [27]) I, 54, 6; II, 45, 7. — — [28]) III, 38, 8; IV, 33, 9; 45, 8; XXV, 37. — — [29]) XXVIII, 18, 10; XXI, 36, 1. — — [30]) Liv. IX, 17, 17; Curt. IX. 10, 26; Plin. XI, 3, 6. — — [31]) Liv. V, 29 fin.; Tac. ann. I, 16 fin. — — [32]) Liv. VI, 7,2; Tac. ann. I, 7. — — [33]) Liv. VII, 33, 18; Suet. Galb. 19; Justin. VI, 8, 13. — — [34]) Liv. XXXVIII, 57, 7; Suet. Cal. 35; Gell. XIX, 9, 8. — — [35]) Liv. II, 22, 12; Tac. ann. II, 10. — — [36]) Liv. V, 22, 4; Curt. VI, 6, 3; Suet Cal. 15. — — [37]) Sall. Jug. 90; Liv. III, 26, 1; Tac. ann. III, 39; — Sall. Jug. 38; Liv. XXV, 13, 4; Tac. hist. III, 37. — — [38]) Hor. A. P. 232; Ov. Met. III, 393; Justin. XXIII, 4: Plin. X, 20, 22; Val. Fl. I, 809; Stat. Theb. V, 296. — — [39]) V, 176. — — [40]) Met. XIV, 188. — —

Ita si numerus quaeritur verbalium, quantus usque ad Augusti excessum fuerit, prisci scriptores non multa posteris persuaserunt. Nam nisi apud grammaticos vel in glossis non inveniuntur: amorabundus, hinnibunde, lixabundus, negibundus (negabundus), lurchinabundus, tuburchinabundus, ventilabundus (vertilabundus); etiam laetabundus Gellius sive Apollinaris videtur excogitasse, ut ex partibus laetus 'et abunde vocem laetabundus componat. Verberabundus e fragmentis Plautinis Angelus Majus excitat; in iis fabulis, quas habemus, Plautus semel sibi permisit: deplorabundus, lascivibundus, ridibundus. Vetustiorum vocabulorum Augusti aequalibus arriserunt: errabundus, fremebundus, furibundus, ludibundus, moribundus, populabundus, tremebundus; posterioribus: cassabundus, meditabundus, versabundus. Apud Ciceronem et semel quidem inveniuntur noctuabundus et volutabundus; semel et praeterea apud poëtas primi seculi: queribundus; accedunt: furibundus, ludibundus, moribundus, tremebundus, quae in ore classicorum vigent. Livio soli videntur propria: (velut) deliberabundus, peregrinabundus, tentabundus, mirabundus; Livio et Sallustio: praedabundus et vitabundus; Livio et historicis: comissabundus (comessabundus), concionabundus, cunctabundus (contabundus), gratulabundus, indignabundus, minitabundus, venerabundus; poëtis: pudibundus, sudabundus; gemebundus aut Ovidio aut nemini.

Qui sub Vespasiano et Trajano fuerunt scriptores, non illi quidem tales sunt, quos in omni re sequamur, quum scriptura eorum nimia arte corrumpatur, tamen iis, quorum ingenium ferreae aetatis iniquitate opprimitur, tantum praestant, ut propius ad optimum quemque accedere videantur. Quodsi iis, quae ab his petenda sunt, numerum complere velimus, is non admodum augeatur, praesertim quum cavendum sit, ne iis utamur, quae a scriptoribus speciosarum exaggerationum amantissimis semel vel bis tentata sunt. Primum Gellius et in eo loco, ubi illius derivationis adumbratam quandam imaginem proposuit, [41]) et crebro, ubi totas alias res tractavit, verbalia bundus finita ascivit. Quae invenerim, haec sunt: *cogitabundus* (II, 1, 2), *gloriabundus* (V, 5, 4), *jactabundus* (XIX, 1; XV, 2), *laetabundus* (XI, 13, 8), *noscitabundus* (V, 14), *saltabundus* (XX, 3, 2), *stomachabundus* (XVII, 8, 6). — *Nitibundus* post Gellium Solinus,[42]) *oscitabundus* Sidonius Apollinaris[43]), *undabundus* Ammianus Marcellinus susceperunt.[44]) Paulo vendibiliora sunt *haesitabundus*, quo Plinius in epistolis, *deprecabundus*, quo Tacitus in annalibus semel usus est.[45]); *speculabundus*, quod et Tacito; et Suetonio semel placuit;[46]) *bacchabundus* et *osculabundus*, quorum uno Curtius, altero Suetonius, utroque postea Apulejus usus est.[47]) *Exsultabundus* Justini et Solini[48]), *festinabundus* et *jocabundus* Valerii Maximi erant et ecclesiasticorum.[49]) *Nauseabundus* bis in epistolis Senecae (47, 108) reperitur; *reptabundus* uno tantummodo loco ejusdem scriptoris innititur (vit. beat. 18). Apud eundem *lapsabundus* in epistolis semel inest (53), *ructabundus* quoque a Seneca non abjudicandum videtur; nam quis est, qui dubitet, quin in illo de vita beata loco (12, 3), quo vocabulum defenditur, rectius sit atque aptius. *Vagabundus* autem a Seneca alienum videtur esse; Fenestellam, qui Tiberii aetate res gestas enarravit, ita locutum esse Fulgentius tradidit; postea Solini et Augustini aevo renatum est.[50]) *Cantabundus* e loco Gellii ab Hertzio removetur, qui cunctabundus legi mavult, et omnino in dubium vocatur, quod etiam apud Petronium in lacuna est[51]). Haec sunt omnia, quae argentea aetate in lucem prodierunt. Quumque probabiliora quoque non plus quam semel bisve legantur, si Quintiliani praeceptum tenemus, haec universa non sine aliqua dubitatione, si res ita fert, accipiemus.

Quae restaut, figmenta sunt vel Africanae Latinitatis vel eorum, qui ad id exemplum se composuerunt, hominum ineptam orationis altitudinem affectantium. Omnium vero, qui ita scripserunt, facile princeps est Apulejus Medaurensis, cujus sermoni tumidiori et dicaculo magnifica illa verborum terminatio admodum respondet. Apud eum reperi: *auxiliabundus* (d. deo Socr. CII p. 145), *certabundus* (mag. c. 22 p. 442), *excusabundus* (mag. c. 79 p. 561), *imaginabundus* (met. III, 1 p. 173), *munerabundus* (met. XI, 17, p. 791), *murmurabundus* (met. II, 19 p, 141), *nutabundus* (met. IX, 41 p. 673), *periclitabundus* (met. III, 26 p. 203), *rimabundus* (met. II, 5 p. 95), *spumabundus* (mag. c. 44 p. 501). *Gaudibundus* sive *gaudebundus*, variante lectione, idem dixisse traditur initio octavi libri Metamorphoseon (VIII, 2 p. 508); sed Hildebrandius et consuetudinem derivandi et optimorum manuscriptorum auctoritatem secutus gaudibundus exhibuit; forma gaudebundus nusquam alibi exstat. Jam Tertullianus proximus est, qui praecipue apud grammaticos in reprehensionem temeritatis et insulsitatis incurrit, quod ardore pro fide Christiana propugnandi abreptus, neque quomodo derivari, neque quomodo componi possit, unquam curaverit. Apud eum leguntur: *aucupabundus* (anim. 39), *cavillabundus* (anim. 34 fin.), *comminabundus* (adv. Marc. IV, 1. 5), *contemplabundus* (Ad. IV, 40), *famulabundus* (Ad. III, 7); item *palabundus*, quod etiam in Jtinerario Alexandri et apud Cyprianum invenitur.[52])

---

[41]) XI, 13, 8. — — [42]) Gell. I, 11; Solin. 25. — — [43]) Gell. IV, 20; Sidon. Apoll. II, 2. — — [44]) Gell. II, 30, 3; Ammian. Marcell. 17, 7 med. — — [45]) Plin. ep. I, 5, 13; Tac. ann. XV, 53. — — [46]) Tac. hist. IV, 50. Suet, Tib. 65. — — [47]) Curt. IX, 10, 17; Apul. mag. c. 82 p. 566; Suet. Vit. 2. Apul. mag. c. CXIII p. 587. — — [48]) Justin XVIII, 7; Solin. 5. — [49]) Val. M. II, 8, 5; Augustin. conf. I, 11. — — [50]) Sen. vit. beat. 12; Fulg. III, 9; Solin. V. med.; Augustin conf. V, 6, 13. — [51]) Gell. XI, 13, 16; Petron. Sat. 62, 4. — — [52]) Tertull. apol. 21; itin. Al. 56; Cyprian. ep. 42, 4. — —

Similis Marciani Capellae Medaurensis ratio est non pauca proferentis: *conspicabundus* (VIII, 270), *flammabundus* (I, 22), *fluibundus* (I, 21), *salutabundus* (VIII, 237), *vibrabundus* (VIII, 297). Augustinus Tagastensis finxit: *insultabundus* (ep. 86), *mendicabundus* (ep. 140); Arnobius Siccensis: *pavibundus* (VII, 13); Cyprianus Carthaginiensis: *cruciabundus* (ep. 55). Ejusdem farinae, ut ita dicam, Julius Valerius est, qui in rebus gestis Alexandri Magni auctor emisit: *amplexabundus* (II, 35), *natabundus* (II, 31), *nexabundius* (I, 2). Nonnulla progenuit Sidonius Apollinaris Arvernus quidem sed florentis facundiae homo: *carminabundus* (VIII, 11), *jactitabundus* (III, 13 fin.), *latitabundus* (I, 69 fin.), *otiabundus* (IV, 8). Ex aliorum scriptis singula commemorantur: *aestuabundus* Palladii (XI, 17, 15), *precabundus* Minucii Pacati (paneg. 36), *vastabundus* Ammiani Marcellini (XXXI, 8, 6), *adminiculabundus* ejus, qui Jtinerarium Alexandri scripsit (21). *Fluctuabundus* ad extremum non Solini sed nihili esse videtur, licet Rudimannus et Gesnerus vocem isti scriptori assignaverint, sed fide vacillante vel jacente potius; nam neque ipsi, ubi invenerint, significant; neque Forcellinius, Freundius, Klotzius, eam agnoscunt. *Rubicundus* ex hoc numero eximitur, quamvis Priscianus [53]) doceat, excipi id alternitatis causa, quod in penultima syllaba pro b c habeat, ne sit absonum, si rubibundus dicamus: nunc omnium consensu adjectivis in cundus cadentibus adnumeratur.

Haec habui verbalia bundus finita quae afferrem: quorum aliquanto majorem partem ferreae aetatis esse ostendi. Charisius omnia illa non Latine sed consuetudine pronunciari monet; consuetudinem autem Diomedes auctor est ideo receptam esse, quod multorum consensione convaluerit, ita tamen, ut illi artis ratio non accedat sed indulgeat; nam eam e medio loquendi usu non placita assumere consuevisse. [54]) Sequitur locus subobscurus sed huic disputationi vel maxime necessarius de derivatione. Verbalia collatas has voces esse jam non de omnibus conceditur: Freundius enim flammabundum a flamma, amorabundum ab amore, lixabundum a lixa, noctuabundum a noctu vocatum vult, sed ea sententia vix digna est, quae audiatur. Quid enim impedit, quominus flammabundus a flammando ducatur, nisi forte ab activa forma talia fingi negas? At multa supra commemoravimus, quae facile huc transferuntur: aestuabundus, certabundus, errabundus, exsultabundus, festinabundus, haesitabundus: alia indidem repetere licet. Amorabundam mulierem inusitatius dictam esse Gellius judicavit; tamen, quamvis verbum ad quod referatur, desideretur, minime cum substantivo jungendum videtur; Thysio potius, editori Gellii quondam clarissimo, assentiendum est, qui verbum amorari olim fuisse sumsit, ita ab amore formatum, ut odorari ab odore. Lixabundum pariter a verbo quodam lixandi profectum esse verisimile est vel activo vel deponenti, quod per transitivam elocutionem dicebatur, cujus generis compluria leguntur: agricolari, ancillari, aurigari, convivari, novercari. [55]) Noctuabundus potius cum noctua quam cum nocte cohaerere et noctuari fingendum esse manifestum est; illud forma evincit, huc pertinent columbari et vitulari; [56]) quoniam autem noctuarum est interdiu latere, de nocte evolare, noctuabundus merito is appellabitur, qui cum nocte sive noctua venit, postquam per totum diem exspectatus est. Quae quum ita sint, spero neminem dubitaturum esse, quin omnia haec vocabula verbalia sint, pleraque ab intransitivis descendentia, sed non pauca etiam a transitivis et activae et passivae formae; activae: cantabundus, carminabundus, cogitabundus, cruciabundus, deliberabundus, deplorabundus, excusabundus, mendicabundus, nexabundius, noscitabundus, salutabundus, tentabundus, vastabundus, verberabundus, versabundus, vibrabundus, vitabundus, volutabundus; passivae: amplexabundus, aucupabundus, cavillabundus, conspicabundus, contemplabundus, deprecabundus, imaginabundus, lurchinabundus, meditabundus, osculabundus, periclitabundus, populabundus, precabundus, rimabundus. Itaque non modo Meiringius, quum censeret nisi ab intransitivis talia non formari, [57]) in maximo errore versatus est, sed etiam omnes, qui putaverunt, eam figuram ad passivam deponentium formam redire, ut participium praesentis temporis, quod passivo deesset, quodammodo suppleretur, rem parum probabilem excogitaverunt. Verum haec vana esse infra demonstrabitur: certe verbalis originis abnuendae facultas non relinquitur; a qua parte autem deriventur, quae sit ratio derivandi, quid singulae litterae in mira illa clausula significent, maxima est dubitatio et apud veteres et apud recentiores. Veteres nondum expenderunt, quid esset declinatio, quid flexura, quid derivatio; terminationes ut fixas et traditas acceperunt, quare valde mirati essent, si quis iis narravisset, terminationes, quas falso vocarent, ipsas voculas esse vel vocularum reliquias. Nostris autem temporibus exstiterunt, qui puerilia superiorum inventa aspernati, trita et celebri via deserta, sexcentarum linguarum et radicibus colligendis et vocabulis inter se comparandis caecas tenebras, quae ceteris offecerant, aut disjicere aut dispicere saltem studerent. Duo igitur statuenda sunt genera grammaticorum, quorum ex uno ii sunt, qui a disciplina veterum desciscere noluerunt; ex altero ii, quibus nihil antiquius erat, quam ut novae sectae se addicerent.

Gellius, qui primus de extremitate et productione vocabulorum in bundus exeuntium quaestionem movit,

---

[53]) IV. p. 137, 23. — — [54]) Char. II. p. 158; Diomed. II. p. 434; — — [55]) Neue, lat. Gr. p. 196 seqq. — — [56]) Corssen, krit. Beitr. p. 10. — [57]) Lat. Grtk. § 345, 2. — —

eo exemplo, quod affert, declarat[58]) vocem laetabundus sibi videri quodammodo e partibus laetus et abunde conglutinatum esse; (conferri potest: gratus abunde, quod Ovidius in Ponticis (IV, 8, 37) exhibet). Sed de primo illo conatu verbo monuisse satis est: fusius de toto genere Priscianus hunc in modum disseruit. Si derivantur, inquit, a verbis primae conjugationis a habent longam antepenultimam, ut causor causaris causabundus, vito vitas vitabundus; sin ab aliis i correptam, ut ludis ludibundus, furis furibundus, moreris moribundus.[59]) Exempla, quae adjunxit, ad rem demonstrandam non sufficiunt; nam etiamsi secundae declinationis participia eam figurationem sequantur: ridibundus, pavibundus, pudibundus, gaudibundus (quam formam longe praestare antea dixi): tertia quidem conjugatio non mediocrem habet fluctuationem. Traduntur enim singulari omnium librorum consensione: fluibundus, furibundus, ludibundus, moribundus, nitibundus, sed vulgo editum inveneris: fremebundus, gemebundus, tremebundus. Tamen gemebundus supra in nihilum videtur interiisse; tremebundus a Lachmanno et Ribbeckio e bonorum codicum auctoritate in tremibundus mutatur,[60]) fremebundus solum in e terminatum relinquitur, de quo equidem in praesentia idem demonstrare non possum, speroque homines magis adjumentis et subsidiis litterarum adjutos hoc facile esse demonstraturos. Quod denique negibundus sententiae Prisciani repugnat: altera ista lectio negabundus, quam a Muellero apponi dixi, memoratu vix digna est, vocem potius e versu sumtam esse opinor, ubi antispasto, quem negabundus efficit, locus non erat, quum negibundus etiam dactylicis versibus conveniret. Adde quod idem metrum inest in vocibus pavibundus et pudibundus; traditur etiam ab ignobili quodam poëta alteram a in vagabundo correptam esse.[61]) In quarta declinatione i longam esse oportebat, sed Leo Meyerus, ut illud Prisciani praeceptum utique tueretur, lascīvībundus, hinnībunde excudi jussit. Hinnibunde, quod a Nonio e prosa oratione afferri videtur, i brevem habere argumentis effici non potest; in voce lascivibundus, quae semel apud Plautum in secundo loco jambici trimetri invenitur,[62]) illam vocalem correptam esse concedendum est: quapropter Freundius, qui i longam indicavit, nimium sibi tribuit. Praeterea in Prisciani originatione multa desiderantur; nam neque cur secunda persona verbi cum verbali conjungatur, intelligitur, neque significatio inde erui potest: aliam Rudimannus protulit, cujus auctorem Vossium esse Boppius testatur.[63]) Ille enim censuerat, derivationem ab imperfecto fieri aut ipso aut paululum immutato; sine mutatione: vitabam vitabundus, fremebam fremebundus; e in i conversa: ridebam ridibundus; e littera ejecta: moriebar moribundus. Quod brevius et planius praecipi potuit, quia apud priscos imperfecta omnium conjugationum in ibam et ibar pro iebam et iebar terminabantur;[64]) ceterum etiamsi negibundus omittatur, non in unoquoque verbo, quae illarum trium vocalium adhibeatur, ex illo praecepto dijudicabis. Nec multum profecit Boppius, qui a futuro quam ab imperfecto ea orta esse mavult, quae sententia ipsa quoque ea re commendatur, quod vetustiores futura omnium conjugationum in bo et bor formasse exemplis probatur.[65]) Deinceps vero idem arbitratur, multo rectius voces a stirpe praesentis repeti, quae in omnibus iis, quae ad hanc formationem pertineant, aut in vocalem desinat, unde verba pura in (a) o, eo, io proficiscantur, aut in mutam, unde verba oriantur, in quibus praesens et principalis forma eadem sit. — Tres, quas attuli, recentiorum grammaticorum explicationes re concinunt; imperfectum enim et futurum et praesens ex uno fonte manant. — Postremo Ferdinandus Schulzius minime praetermittendus est, proximus ille quidem hominibus, qui comparandis inter se linguis student, et cum iis fere consentiens, qui quum pro terminatione endus participii futuri passivi in tertia et quarta declinatione secundum priscorum pronunciationem interdum undum reperiri animadvertisset, pro similitudine eorum e quibusdam verbis formam participialem in bundus ductam esse existimavit: cunctabundus, moribundus, fremebundus, — oriundus, quod nimirum ex oribundo natum esse ei videtur.[66]) Collatis autem vocabulis secundus, labundus, volvundus rarioribusque quibusdam, quae Corssenius collegit,[67]) necesse esse putaveris, oriundus ab aliis gerundivis non secernatur, quandoquidem in terminatione endus vel undus non magis necessitas inest, quam in Germanorum factitativo, quem Beckerus vocavit. Jam vero si quis interrogaverit, cur moriendum in moribundum, non in moriundum, quod gerundium est, sit commutatum: non video, quomodo se explicaturus sit. Itaque haec quoque explicandi ratio in dubium vocatur.

Qui distrahendis vocibus principalem notionem se reperturos esse sperant, ii hanc quaestionem nondum ad exitum adduxerunt; nam praeterquam quod vocalium a, e, i variantium causam non indagaverunt, in dissecanda illa extremitate inter se digladiantur et, ut Horatii verbis utar, adhuc sub judice lis est. Schoemannus igitur praefracte negavit, priusquam grammaticae comparativae scientia majoribus auctibus crevisset, quomodo participium praesentis cum gerundio cohaereret, dijudicari posse.[68]) In verbalibus enim bundus finitis latent, ut illi volunt, duo triave suffixa: b omnium consensu ad verbum substantivum

---

58) XI, 15, 8. — — 59) IV, 137, 16 seqq. — — 60) Lucr. I, 96 ed. Lachmann; Virg. Aen. X, 522 ed. Ribbeck. — — 71) Dracont. hexaëm. I, 257. — — 62) Stich II, 1, 16 — — 63) verglch. Grtk. B III. 185. — — 64) Neue, Lat. Grtk. p. 346 seqq. — — 65) Neue l. l. 341. 342. — — 66) Lat. Grtk. § 174 1. — — 67) Corssen l. l. p. 125. — — 68) Redethl. p. 57.

recidit, reliquum, sive unum sive duo suffixa inde elicies, forma gerundii est. Ac primum quidem Boppius quem modo Vossii sententiam laudasse dixi, ut omnibus ejus doctrinae fautoribus visum est, vere auguratus est, in illa terminatione perinde verbum substantivum inesse, atque in imperfecto et futuro; ad imperfectum, significatione non adjuvante, eam non refert: gemebundum enim non eum esse, qui gemeret. Videntur ei potius gemebundus et gemebam quasi fraternitatis quodam vinculo contineri, formaeque bundus finitae participia praesentis temporis esse, a stirpe verbi venientia, littera f in b mutata et suffixo nt, ut in gerundiis, in ndo producto. Deinde litteram u in bundo non e forma fu sumtam sed pro obscurata a substitutam esse, ut in tertia persona multitudinis vehunt idem sonet, quod in sermone priscorum Jndorum vahonti dicatur. Tum dubitanter addit: At ut hae formae alius temporis, non praesentis sint: in iis forsitan obsoleta participia futuri agnoscantur, quae, participiis in urus inventis, vel raro vel vi immutata in usu erant.[69]) Ex his tam multis vel consiliis vel sententiis, quod Boppius extremum tentavit, Klotzio ejusque amicis, quibuscum lexicon confecit, valde placuit, qui verbi causa amplexabundus nomine participii futuri affecerint, alia, ut deplorabundus, errabundus, exsultabundus, festinabundus, gratulabundus, insultabundus etiam participia futuri medii appellaverint. Discipuli et sectatores Boppii ex lepidis et ingeniosis illis interpretationibus nihil tenuerunt, nisi voces in bundus cadentes gerundiva esse et a radice fu Latinorum vel bhu Indorum vel bin bist Germanorum propagari.[70]) Sed eas formas e participio praesentis temporis ortas esse non credunt, praesertim quum neque nt, accedente o, unquam in nd abiisse Corssenius multis exemplis ostenderit,[71]) neque significatio praesentis gerundio similis sit. Quibus de causis alii suffixum ondo e partibus on et do composuerunt. Quid on, quid do esset, non continuo liquebat, et multa frustra jactabantur. Prioris syllabae originem Pottius et Aufrechtius alte repetunt: eandem eam esse atque Indorum ana, qua substantiva abstracta neutrius generis formentur aut Germanorum an vel en, qua infinitivi terminentur. Exempli gratia proponit: Jndorum bhand—ana (vinctio), Gothorum, Saxonum, Anglorum bind-an, priscorum Germanorum bint—an, recentiorum binden. Contra eum Corssenius probabiliter argumentatur, illud suffixum ana neque in infinitivis neque usquam alibi in linguis Romanensibus aut apud Italos aut apud alios, quorum sermo a Romanis originem trahat, inveniri; sed ut aliunde illuc translatum sit et in ano, eno, ino, ono, uno abierit, si alterum suffixum gerundii accesserit et propterea o terminationis in i debilitata sit: compositiones et elisiones exspectandas fuisse, facion—i-dus faciondus, ut calidus caldus, valide valde; longiorum vocum exempla non inveniri eamque ob rem totam formationem suspectam esse. Posteriorem partem do plurimi cum terminatione adjectivorum in dus exeuntium comparant et idem quod in illis significare confirmant; miram autem de illis adjectivis inter peritissimos homines dissensionem Corssenius, ut suam ipsius sententiam probet, leviter transit ac tantummodo perstringit.[72]) Omnes scilicet e fonte haurire quam rivulos sectari malunt, sed alii sibi persuadent, Indorum participia in ta a verbis neutris activae, potestatis deducta ita commutari posse, ut ta in do convertatur, cujus rei neque in Graeca neque in Latina lingua ullum vestigium deprehenditur; alii suffixum do ad Indorum tva referunt, quamvis constet in locum litterae t, accedente v sive digammate, non litteram d succedere. Sunt etiam, qui suffixum participiale Indorum ant ita fractum et debilitatum esse putent; cui quum apud Latinos ant vel ent respondeat: neque cur n deleta sit, intelligitur, neque, cur t in d mutata sit, quod in aliis vocabulis ejusmodi non fieri Corssenius magna copia exemplorum docet. His sententiis neglectis, Pottius censuit, suffixum do aut a radice dhā (ponere, facere) aut a radice da (dare) ducendum esse, ad formamque debiliorem dĕ vel dĭ, ut forma nominativi nascatur, litteram o accessisse et e vel i ante eam evanuisse. Optione igitur facta, ut eligamus, utram originem accipiamus, radix dha mihi videtur removenda, quod in consimilibus adverbiis Graecis, quae in *δην, δόν, δά* desinunt, dh in d abiisse oportebat; itaque ad dā nobis confugiendum est, quo, dum melius aliquid invenietur, contenti erimus. — Simili difficultate ea explicatio suffixi ondo impeditur, quam Curtius nuper videre sibi visus est. Nam quum ad Indorum terminationem anija recurreret, non demonstravit anija vel an-ja in an-dja mutari et assibilationem deleri posse. Corssenius tandem nos in patriam horum verbalium revocat et, ut ibi principalem formam quaeramus, suadet. Statim occurrunt infinitivi priscorum Italorum in om et um terminata et a stirpe verbi cum suffixo o deducta, quales sunt Umbrorum a-fer-om (circumferre), er-om (esse); Oscorum ac-um (agere) deic-um (dicere), ez-um (esse); Latinorum ipsorum, ven-um, pess-um, qui cum verbis eundi et dandi componuntur. Quae forma infinitivi quum ex accusativo ortum sit, ut Weissenbornius quoque docuit, alterum suffixum adhaesisse non verisimile est. Quum igitur hanc quoque explicationem non probaveris: propius vero esse videatur, ut in syllaba on suffixum talium nominum verbalium agnoscamus, qualia sunt err-on, ed-on, mand-on, combib-on, a quibus affixa productione do antiquis temporibus gerundiva formata sint.[73]) Huic formationi praefixa b, in qua verbum substantivum

---

[69]) Bopp, vergl. Grtk. III, 185. — — [70]) Leo Meyer in Kuhn. ann. VI p. 376; Grtk. II p. 96; Pott. etym. Forschgg. II, 1, p. 54. — — [71]) Corssen l. l. p. 120, 121. — — [72]) Corssen l. l. p. 97—99. — — [73]) Pott. etym. II, 1, p. 541. —

latet, jam comparent verbalia bundus finita; nec secius omnia in unguem quadrant, quae ad significationem pertinent, errabundus enim est homo se erronem esse dans hoc est nimium sibi in errando indulgens. Ita eximitur scrupulus, qui Pottium male habuit,[73]) quod non intellexit, quomodo fieri posset, ut verbum bhû in talibus vocabulis actionem indicaret.

Progredienti mihi manum injiciunt participialia quaedam in cundus terminata, quorum figura et vis simillimae sunt, explicatio diversa; in quibus tamen ne veteres quidem grammatici litteras sine causa commutari et notionem eandem esse crediderunt. Isidorus enim et Paulus Diaconus,[74]) quum de voce iracundns agerent, hunc in modum consenserunt: iracundus dictus, qui accenso sanguine in furorem compellitur; πῦρ enim flamma dicitur et ira inflammat; — iracundia dicta quod iram incendat. Concedendum igitur est vel maxime repugnanti inter illorum adjectivorum extremitatem et verba accendendi vel incendendi communionem quandam sumi. Pottius et Corssenius, quorum alter [75]) verbalia in cundus exeuntia cum verbis in care cadentibus comparat, alter[76]) etiam adjectiva in cus desinentia collata vult, efficere studuerunt, in tribus his formationibus idem suffixum do inesse easque aut, vocali non mutata, a prima declinatione, aut, e in i conversa, a secunda descendere. Neque vero dicitur, cur in verecundo e servetur, in rubicundo oblitteretur, et Leo Meyerus dubitat, utrum jucundus a jocando an a juvando rectius derivetur, tamen, quod alia ad verbum redeant, similitudinem aequalitatemque sequi mavult. Quid porro littera c indicetur, etiamnunc in ambiguo est, quum praesertim Indorum kar (facere) pro origine habendum esse Corssenius improbet, ratus, duas litteras simul ejici non posse et r in similibus Latinorum terminationibus servari;[77]) Leo Meyerus defendat neque argumenta addat.[78]) Uterque ad Indorum suffixum ka respicere mavult, quod cum Latinorum co idem sonet et e terminatione deminutivornm satis notum sit. Omnia igitur, quae diximus, ut complectamur, rubicundus is est qui dat sive gerit rubicantem — — rubicat autem (venia sit dicto), qui aliquantum rubro colore imbutus est. Ceterum omnia adjectiva, quae in cundus terminantur, adeo in omnium ore erant, ut inde substantiva,[79]) verba,[80]) adverbia[81]) adjectiva[82]) formarentur, ut cum praepositionibus inseparabilibus in et re facile coalescerent,[83]) ut gradus comparationis admitterent.[84]) Sed haec hactenus: nos ad propositum revertamur.

Restat notatio, qua e terminationibus productionibusque vis vocabulorum elicitur; quae quaestio maxima difficultate et obscuritate obstruitur. Quamvis enim, quae in bundus exeuntibus subjecta sit notio, si non aurificis statera sed populari quadam trutina utaris, e locis scriptorum et praeceptis grammaticorum emergere videatur: tamen si ad veritatem rem exegeris, tantam undique noctem et caliginem offundi invenies, ut nihil certi statuere audeas. Omnium autem, quae recentiores conjecerunt et divinaverunt, fons et caput a Rudimanno repetendum est, qui veterum sententias collegerit et digesserit.[85]) Quo facto, quintuplicem illorum verbalium interpretationem protulit: primam eorum, qui similitudinem aut simulationem iis tribuerent, alteram eorum, qui eandem, quae participiis in ns esset, significationem iis adscriberent, tertiam eorum, qui vim et copiam et quasi abundantiam rei, cujus id verbum esset, illis demonstrari vellent, quartam docentium in rebus voluntate praeditis ostentationem sive professionem et, si voce uti liceret, satagentiam quandam iis significari, quintam denique censentium eandem ea atque frequentativorum participia potestatem habere. Quam non inter se differrent secunda, tertia, quinta sententia, jam ab Ursino observatum esse; facile etiam conciliari primam et quartam; primam, a Valla repudiatam, tamen in nonnullis locis aliquid ex vero trahere. Difficilem hunc nodum, in quem incidimus, ut expediamus, ordinem seriemque sententiarum proponemus et probabilia sequemur. Sed priusquam etiam magis in rem intremus, ut controversiam inter nobilissimos grammaticos ortam, utrum voces ita formatae nomina an participia sint, quoad ejus fieri potest, aliquo modo dirimamus, paucis probaturi sumus, participiorum naturam illis adeo adhaesisse, ut ipsas participiorum nomine affici consentaneum sit. Participia enim Charisius et Cledonius eas putaverunt, ille praesentis, hic futuri temporis.[86]) Acerrime repugnavit Diomedes, quum eos longe errare diceret, qui opinarentur moribundus vitabundus furibundus esse participia: appellationes eas, esse, moriturus vero esse participium.[87]) Nomina, quae a participiis figurata essent, multos talia vocabula

---

[74]) Isid. p. 1077, 25. — Paul. Diacon. p. 106, 6. — — [75]) Pott. l. l. p. 542. — — [76]) Corssen l. l. p. 43. — — [77]) Corssen l. l. p. 43, 393. — — [78]) Kuhn. annal. VI p. 380. — — [79]) Facundia Sall. Hor. Quint. infacundia Gell. IX, 16, 9; facunditas Plaut. fecunditas Cic., infecunditas Col. Tac.; iracundia Cic. Tusc. IV, 12; jucunditas Cic.; verecundia Cic. Liv. Quint. — — [80]) Fecundo Virg. Claud ; jucundare Augustin; jucundari Lactaut; verecundari Plaut. Cic. — — [81]) Facunde Plaut. Liv. Ov. Hor. Sall. Quint.; iracunde Cic.; iracunditer Caec. ap. Non. p. 733, 90; jucunde Cic.; verecunde Cic. Liv.; verecunditer Non. p. 776, 3; verecundanter Non. p. 754, 101. — — [82]) Rubicundulus Juvenal.; facundiosus Asell. ap. Gell. IV, 9, 12. — — [83]) Infacundus Liv. infecundus Sall. Ov. Col. Stat.; infacundia Gell. XI, 16, 9; infecunditas Col. Tac., injucundus Cic. Plin. Quint. Tac., injucundius Cic., inverecundus Plaut. Cic. Quint., inverecundia Arnob. IV, 150; inverecunde Sen.; inverecundius Hieron.; reverecunditer Enn. b. Prisc. XV, p. 71. — — [84]) Fecundius, fecundissime Plin. H. N.; Varr. L. L. VII, 1,79; iracundius Cic.; jucundius, jucundissime Cic.; rubicundior Cat. R. R. Sen.; verecundior Cic. Quint. verecundius Cic, Quint. — — [85]) Ruddimann l. l. I p. 309. — — [86]) Char. II p. 179, 16; Cled. p. 257, 12. — [87]) I p. 402, 30.

appellasse, testatur Charisius,[88]) qui ipse ea, quae a verbis descendant, aut Graeco nomine ῥηματικά[89]) aut, ut Priscianus, nova appellatione verbalia vocari mavult.[90]) Pompejus autem ab his participiis dubietatem sibi fieri concedit et, adstipulante Servio,[91]) quod, subtracta dus syllaba et addita s littera, non redeant in participia praesentis temporis vera ac germana participia ea esse negat.[92]) Donatus, quae a verbo veniant sed, quia tempus non habeant, nomina magis quam participia judicentur, ut furibundus, moribundus, ea veluti participia dicenda putat.[93]) Cledonius nomen participale vel participiale ad eam rem accommodat,[94]) quod latius patet et praeterea gerundia et supina et participia praesentis temporis, quae quidem genetivis junguntur, complectitur.[95]) Invitus feci, quod litigantium grammaticorum controversias ex tenebricosis umbraculis extraxi et in lucem protuli; sed intellexi, nisi praecepta et exempla veterum proponerentur, naturam verbalium satis enucleari non posse. Ac primum quidem inter omnes convenit, quae comparentur aut adverbia faciant aut genetivo, non accusativo jungantur, ea nomina, non participia esse.[96]) Quam rem si ad vivum resecuerimus, voces in bundus terminatas a numero participiorum segregandas esse inveniemus. Nam quamvis non exstent, quae per omnes gradus comparationis eant, duarum tamen secundus gradus invenitur: tremebundior, nexabundius.[97]) Deinde confitendum est, tria adverbia legi: furibunde, hinnibunde, nexabundius.[98]) Postremo cum genetivo Apulejus semel periclitabundus posuit,[99]) qui ipse aliis locis eandem formam cum accusativo conjunxit.[100]) Verum parvi referre arbitror, quae a deterioribus quibusdam scriptoribus tentata sint: probandum erat, vel plurimis vel optimo cuique eas derivationes et constructiones placuisse. Quumque Quadrigarius priscae Latinitatis, Hieronymus et Julius Valerius infimae sint: ex allatis exemplis non efficitur, adverbia in usu fuisse, praesertim quum isti quoque scriptores semel modo iis locum dederint. Comparativos omnino ejicere non licebit, quod et Columella, Augusti aequalis, ob proprietatem sermonis laudatur, et Apulejus laudatores elegantiae habet. Quamquam et quae notavi, quod singularia sunt, excipiuntur, et tremebundior a Columella poëta similitudinis ornandae causa figuratum est, et Apulejus multa ausus est, quae nemini persuasit. Nihilominus neque Charisius negare debebat ludibundus furibundus similia comparationem habere,[101]) et Cledonio assentiamur oportet, legentior legentissimus dici non posse.[102]) Participia autem, quum non actionem sed statum et quietem significarent, comparationem recipere, novissime Neuius exemplis docuit,[103]) quorum ad similitudinem tremebundior, nexabundius ficta esse, mihi videntur. His igitur argumentis et rationibus non modo sententia eorum, qui ea vocabula, de quibus agimus, participia esse negant, non confirmatur sed etiam, quod in adjectivorum numero ea habent, in tantas difficultates delabuntur, ut se exuere ex iis et ulla ratione explicare vix possint. Nam multa afferri possunt, quibus ostenditur, quanta similitudo et cognatio vocibus bundus finitis cum participiis intercedat. Primum enim illae multifariam adverbia, casus, praepositiones assumunt; quod quum paullo obscurius et ignotius sit, idonea copia exemplorum patefacere et illustrare volo. Sufficient haec ud usum scriptorum cognoscendum: muliebriter indignabunda Liv. XXXVIII, 57, 7; varie quisque munerabundi Apul. met XI, 18 p. 791, agros populabundi Sisennae hist. IV (ut Gell. et Non. tradunt); haec propalam concionabundus Liv. V, 29, 10, vitabundus castra hostium consulesque Liv. XXV, 13, 4; mirabundi vanam speciem Liv. XXXIII, 32, 7; vitabundus classem hostium Sall. hist. III, 19 D, quasi vitabundi aut jacientes tela Jug. 60, 4; venerabundos ipsum Curt. VI, 6, 3; speculabundus ex altissima rupe identidem signa Suet, Tib. 65; socculum assidue nonnumquam osculabundus Suet. Vit. 2; Romanum meditabundus bellum Justin. XXXVIII, 3, 11; manus nostras osculabunda Apul. mag, c. 94 p. 587; voluntatem meam verbis inversis periclitabunda ibd. c. 72 p. 546; excusabunda se filio ibd. c. 79 p. 560; manus nostras osculabundus c. 94 p. 587; indigna murmurabundus met. II c. 19 p. 141; haec rimabundus Met. II c. 5 p. 95; carnificem imaginabundus Met. III in extremam aciem periclitabunda Met. V, 23 p. 363; salutabundus Jovem Marc. Cap. VII, 237; conspicabunda virginem id. VIII, 270; contemplabundus Dominium Tertull. adv. Marc. IV, 40; ab ipsa etiam nativitatis janua animas aucupabundus id. anim. 39; gratulabundus patriae Justin. VI, 8, 13; saluti praesenti ac futurae soboli novorum maritorum gaudibundus Apul. Met. VIII, 2, p. 508; id. de deo Socr. XI p. 145: auxiliabunda fratri; Tertull. adv. Marc. IV, 15: comminabundus nobilibus ac superis; Liv. V, 24, 4: identidem omnibus locis concionabundus; *Ov. Met.XIII, 871:* taurus vacca furibundus ademta; Val. M. II, 2, 4: juventus rudi atque incomposito motu corporum jocabunda; Gell. I, 11: mentium conspiratu tacito nitibundos;

---

[88]) I, 49, 3. — — [89]) I, 49, 3. — — [90]) Prisc. IV p. 137, 39; Char. II p. 155, 30. — — [91]) p. 441, 18. — — [92]) p. 257 11. — — [93]) II p. 388, 20. — — [94]) p. 58, 3; 20, 1. — — [95]) Prisc. VIII p. 409, 3; XI, 549, 2; VIII, 425, 20; VIII, p. 233, 7. — — [96]) Cledon. p. 72, 4; Prisc. XVIII p. 293, 17; Charis. V, 291, 14. — — [97]) Colum. poët. X, 396; Jul. Val. res. g. Alexdr. M. I, 2. — — [98]) Hieron. in Jesai. V, 14, 5; Non. p. 552, 60. — — [99]) Met. III c. p. 213. — — [100]) Met. V, c. 23 p. 363; mag. 72, p. 546. — — [101]) I, 49 3. — — [102]) p. 149, 26. — — [103]) Neue, l. l. p. 86—91.

Gell. V, 5, 4: rex contemplatione tanti ac tam ornati exercitus gloriabundus. Gell. XIX, 9, 8: indignabundus animo irritato; Sil. X, 243: media fremebundus arena, Marc. Cap. I, 21 fin: fluibunda luxu puella; Sid. Ap. IV, 18: multis diebus otiabundus. Ammian. Marc. XVII, 7: impulsu crebiore aquae undabunda; Claudian. in Eutrop. II, 441: Sudanti tremebundus equo; Pacat. paneg. 36: submissis precabunda vexillis; Sen. ep. 108 fin: gubernator in tempestate nauseabundus. Gell. XV, 2, 2: in Graecae facundiae gloria jactabundus. Apul. mag. c. 22 p. 442: Diogenes quidem cum Alexandro Magno de vanitate regni certabundus; ibd. c. 82 p. 566: impurus hic in medio foro bacchabundus.

Sed quid plura? explicatione jam non opus est, quod res per se ipsa patet. Apparet voces bundus finitas verborum naturam habere; quis enim unquam vidit aut fando audivit, adjectiva ita cum adverbiis, casibus, praepositionibus jungi? Quid, quod non modo singulae voces illinc pendent, sed etiam additamenta enunciationum accedunt: Liv. III, 38, 8: nova res mirabundam plebem convertit, quidnam accidisset, cur — —; Liv. XXV, 37, 12: Poeni mirabundi, unde tot hostes tam subito exorti forent. Liv. XXVIII, 57, 7: illa muliebriter indignabunda nihil de communi filia secum consultatum. Non raro in illis vocabulis tota sententia inest, quae a nostratibus participiales constructiones appellantur. Suet. Tib. 65: meditabatur fugam, speculabundus ex altissima rupe identidem signa; Justin. XXXVIII, 3, 7: omnes has gentes, Romanum meditabundus bellum, variis beneficiorum muneribus illexerat. Apul. mag. c. XCIV, p. 587: oblivionem praeteritorum omnium postulat, flens et manus nostras osculabunda ac dicens poenitere. Etiam cum participiis copulata saepenumero inveniuntur: Cic. Sext. 7, 15: furibundi hominis ac perditi; c. 39, 85: jacentem moribundumque; Liv. XXI, 36, 1: tentabundus manibusque retinens virgulta. Liv. VI, 7, 2: cunctabundos et resistentes. Tac. Ann. III, 39: praedabundi aut assumendis auxiliis vagabantur. Illa si adjectivis adjunguntur, ita ipsa adjectivorum locum obtinent, ut participia supra dixi interdum verborum naturam exuere: Plaut. Epid. III, 2, 32: ridibundum atque hilarem; Cic. Rep. II, 41: libidinosus et volutabundus in voluptatibus; Cic. Phil. XIII, 9, 19: impetus crudeles ac furibundos; Gell. XIX, 1, 1: mare Jonium violentum et vastum et jactabundum; *Gell. XV, 2, 2:* nihili homo et nugator atque in Graecae facundiae gloria jactabundus et praeterea vini libidine adusque ludibria ebriosus. Attamen doctis viris minime assentior censentibns, a quolibet verbo, ut participia praesentis, perfecti, futuri: ita voces in bundus fingi posse, quoniam et supra ostendi a paucis tantummodo verbis eas derivari earumque majorem partem infimi aevi esse, et infra convincam, quam non is usus usquequaque pateat. Haec quidem praemoniturus eram: jam, si placet, ad reliqua pergamus.

Gellius, qui more suo breviter strictimque de vi formaque vocum bundus finitarum disputavit, triplicem explicationem commemoravit. Prima erat Caesellii Vindicis, qni existimavit, ludibundum, ridibundum errabundum dici ludentem et ridentem et errantem. Hanc Rudimannus in explicationibus, quae traderentur, secundo loco retulit, a Gellio improbatam, ab iis, qui proprietate sermonis evanescente, opera coagmentaverunt, adamatam. Nonius enim dixit: hinnibunde pro hinnienter ab eo quod est hinnio; deplorabundus pro deplorans; volutabundus pro volutans; —[104]) Paulus Diaconus: lixabundus-iter libere ac prolixe faciens; negibundum antiqui pro negante dixerunt;[105]) Charisius etiam, quamvis pudibundus ludibundus genera non distinguerent, tamen participiis praesentis temporis ea accensuit.[106]) Facultas ita derivandi a Servio quoque datur, qui omnibus aliis locis, similitudinem aut simulationem amplectitur. Est participium, inquit, prope contra rationem figuratum: vel errabunda errantia, ut ludibundus ludens Cicero: omnino ludibundus conficies.[107]) Gellius vero recte monet, id potissimum requirendum esse in istiusmodi figurae tractatu, sic uti requiri soleat in vinolento et lutulento et turbulento, vacuane et inanis sit istaec productio, cujusmodi sint, quae παραγωγὰς Graeci dicant, an extrema illa particula habeat aliquid suae propriae significationis. Haec cogitatio grammaticos vexavit et torsit, sed evidentem demonstrationem illius clausulae invenire non potuerunt.

Rem eo deduxi, ut facile intelligatur, quid ceteri verbalium explicatores secuti sint. Nam Gellii secunda et tertia, Rudimanni quatuor reliquae explicandi rationes huc redeunt, ut terminationis vis atque potestas cognoscatur. Plurimi ad Terentii Scauri, grammatici Hadriani temporibus vel nobilissimi, se applicaverunt, qui Caesellium vituperaverat et pro certo affirmaverat, ludibundam et ridibundam et errabundam eam dici, quae ludentem vel ridentem vel errantem ageret aut simularet. Rudimannus hanc explicationem primo, Gellius secundo loco posuit; ille eam, quod aliquid ex vero trahere videretur, repudiare non dubitavit; hic, quid esset ludentem agere vel imitari, non intelligere maluit quam insimulare Scaurum tamquam minus intelligentem. Quod autem ad diversas sententias firmandas eadem exempla afferuntur,

[104]) Non. p. 122, 15; 509, 7; 760, 64. — [105]) p. 116, 164. — [106]) II, 179, 16. — [107]) ad Virg. Buc. VI, 58.

omnia labare necesse est, quoniam aut ad eosdem locos scriptorum aut ad eandem formulam consuetudinis respicitur. Vocabula illa ipsa: ridibundus, errabundus, ludibundus ad similitudinem evincendam parum pertinent. Primum semel apud Plautum legitur (Epid. III, 3, 32): Ita ridibundum atque hilarem huc adduxit simul; semel etiam, ut Festus et Paulus Diaconus auctores sunt, apud Catonem: Ridibundum magistratum, pauculos homines, mediocriculum exercitum obviam duci. In utroque loco de similitudine aut simulatione hilaritatis non cogitandum est sed de laetitia et risu. Cum altero exemplo Gellii non melius agetur. Priscianus quidem similitudinem in hac voce auctoritate sua defendit neque argumentis probat: errabundus similis erranti: quem ego nihil moror, quominus sibi ipse placeat. Scriptores a contraria ratione stant, et Servius quoque, quem constat illam notionem alienissimis locis inculcasse, errabunda vestigia errantia esse dixit; itemque Nonius in eundem locum commentatur: Errabundus pro errans. Virgilius: Si qua forte ferant oculis sese obvia nostris. Errabunda bovis vestigia (Ecl. VI, 58). Ceterum et in hunc et in ceteros locos Apollinaris interpretatio quadrat: eum errabundum esse, qui longo atque abundanti errore sit. Lucr. IV, 692: (odor) errabundus tarde, venit i. e. nimium errando indulgens. Auct. bell. Afr. II, 5: (naves) dispersae atque errabundae diversa loca petierunt; ibd, XXI, 3: naves interim Caesaris onerariae errabundae male vagabantur, incertae locorum atque castrorum suorum XLIV, 2: item altera navis trieris ex eadem classe errabunda ac tempestate delata: Curt. VIII, 4, 6: Ordinibus solutis per totum saltum errabundum agmen ferebatur. Suet. Caes. 31: diu errabundus — — tandem ad lucem pervasit. Ludibundum Servius in loco Ciceroniano (Verr. III, 3, 67) ludentem esse censuit; Gellius vel Apollinaris laetabundus, ludibundus, ceteraque omnia ex ea figura ita dici ostenderunt, ut productio haec et extremitas longam et fluentem vim et copiam declararet. Quae quum ita sint, non fuit, quod Rudimannus in illo loco orationum Verrinarum haereret, quum inveniret: Si Voltejum habebis omnia ludibundus conficies. Eodem modo Cicero in epistolis scripsit (Fam. XVI, 9): Austro lenissimo, coelo sereno, in Italiam ludibundi pervenimus; neque apud quemquam alium usquam similitudinem erues. Optime haec quoque ad rem demonstrandam facient: Plaut. Pseudol. V, 1, 30: sed palliolatim amictus sic hac incessi ludibundus; Liv. XXIV, 16, 14: milites praedam portantes agentesque per lasciviam ac jocum ita ludibundi Beneventum rediere, ut ab epulis reverti viderentur. Suet. Ner. 26: circumque vicos vagabatur ludibundus. Gell. III, 5, 2: oculos ludibundos atque illecebrae voluptatisque plenos. Ubi tandem illa similitudo aut simulatio est, quam Rudimannus videre sibi visus est? Persuasisti tibi potius omnibus his locis copiam et abundantiam significari. Ludibundus enim non est ludenti similis sed utique ludens vel lusitans, et ad tertium quintumve genus verbalium a Rudimanno propositum referri debet, quod cum tertio Gellii unum idemque est.

Sententiam Scauri Gellius multo sale defricuerat; posteri fovendo aluerunt et sustentaverunt. Familiam ducit Priscianus, vestigiis eum sequitur Diomedes;[108]) Servius denique Virgilii Aeneidem illustrans maxime ea explicandi ratione delectatur.[109]) Percenseantur igitur exempla, quibus sententiam firmant: praedabundus, furibundus, moribundus, vitabundus. Proximum est praedabundus. *Sall. Jug. 90, 2:* dicitque se praedabundum post paucos dies eodem venturum. Liv. II, 26, 1: nocte in urbem nuntiatum est, exercitum Sabinum praedabundum ad Anienem amnem pervenisse. Tac. ann. III, 39: quae praedabundi aut assumendis auxiliis vagabantur. Simulationem hic quoque non agnosces, sed eandem notionem inesse confiteberis, quae supino propria est. Idem etiam participio praesentis et ablativo qualitatis interdum significatur. Liv. III, 60, 4: pars in Latinos praedatum abeunt. Liv. IV, 55, 1: praedatum extra fines exire in agrum Latinum. *Liv. VI, 21, 8:* praedatum in agrum Romanum exirent. *Liv. III, 30, 4:* Sabinum exercitum praedatum descendisse in agros Romanos. Liv. II, 63, 7: Sabini usque ad portas urbis populantes incessere. *Liv. III, 25, 6:* in Tusculanum hostili populatione veniunt; 26, 1: prope ad moenia urbis infesta populatione venit. Deinde furibundus nunquam est similis furenti, licet Diomedes dicat et Servius Virgilii auctoritate confirmet (Aen. IV, 646): Conscendit furibunda rogos. Dido enim non erat similis furenti sed cummaxime furebat; itaque furibunda est potius plena irarum sive furoris. Haec est vis vocabuli omnibus locis conveniens. Sall. Cat. 31 fin. tum ille furibundus — — inquit. Ov. Met. IV, 511: media furibundus in aula clamat; ibid. XIV, 871: taurus vacca furibundus ademta. Virg. Aen. VII, 348: quo furibunda domum monstro permisceat omnem. Consol. ad Liv.: quoque ruit, furibunda ruit. Prop. IV, 7, 3: cur furibundo mero mensam propellis; id. V, 8, 52: non operosa comis, sed furibunda decens. *Cat. 61, 64:*

---

[108]) IV, pag. 137, 16; I, p. 403, 1. — [109]) ad Virg. Aen. IV, 646; VI, 732; X, 341.

earum omnia adirem furibunda latibula. *Lucr. VI, 367:* (ut) ignibus et ventis furibundus fluctuet aer. Hor. Ep. I, 10, 17: (Leo) cum semel accepit solem furibundus acutum. Hieron. in Jesaiam V, 14, 15: Israel, qui fuit baculus impiorum omnes furibunde concutiens. Saepe furibundus, notione non mutata, cum substantivis jungitur: Cic. Sext. 7, 15: traductione ad plebem furibundi hominis ac perditi. Cic. Phil. XIII, 9, 19: latronis impetus crudeles ac furibundos retardavit. Cic. Div. I, 2, 4: hariolorum et vatum furibundae praedictiones. Stat. Theb. X, 896: Junonem tacitam furibunda silentia torquent. Sil. XII, 546: Attonitae passim furibundis gressibus errant. Sil. XI, 102: ut perferre queas furibunda insomnia consul. Quod autem Diomedes docuit: furibundus similis furenti sed sine furore: in magna obscuritate mica salis inest; videtur enim repexisse ad locos ejusmodi: Nomadum furibunda cohors Sil. II, 256 i. e. ad furorem propensa sed tum fortasse furore carens, ut iracundus ab irato, amator ab amante discernitur. Maxime tamen illis moribundus et vitabundus documento fuerunt; etiam Rudimannus eos non sequi non potuit. Rationes etiam Servius subjungit, quae tamen nihil roboris habent (ad Aen. X, 341): Quia nomen est, ideo significat similitudinem, non passionem; quod si participialiter diceretur, a passivo veniret. Omnia enim a passivo participia in dus exeunt. Moribunda similis morienti; non enim participialiter aliquid significat sed nominis habet significationem. Nominis autem significatio similitudinem habet non passionem. Quando dico moriturus, vere moriturus est; moribundus autem non vere sed similis morienti est; unde et Sallustius dixit: Quasi vitabundus. Hanc verbosam et inanem loquacitatem, qua Servius nos obruit, recognoscens vereor, ne legentibus taedium afferam, praesertim quum nemo sit, quin videat, ab illo id sumi, quod demonstrandum erat, et quasi circulum in demonstrando fieri. Nec Laurentium Vallam[110]) silentio praeteribo, qui multis ante annis miratus est, cur Priscianus a Gellio desciverit et uni Scauro potius quam aliis duobus tribusve, quos Gellius protulerit, adstipuletur: an quia grammaticus Scaurus et Prisciano similitudine professionis conjunctus, Caesellius vero jurisconsultus et Aulus Gellius orator Apollinarisque philosophus? Deinde ne omnia tamquam jocularia ridens percurrat, Servium ipso Sallustii loco maxime redargui docet, quod Jugurtha non vitationem legati simulaverit sed metum; et similitudo cum simulatione confundatur; et si qua fuerit similitudo, ea similitudo atque simulatio intelligatur per illud quasi, non per illud vitabundus; denique quod vocula *quasi* accedat, non ut similitudinis vis confirmetur, sed ut ea sententia efficiatur. Hoc verum est, nam saepe similitudinis causa *prope*, *velut*, *quasi* adduntur: prope concionabundus Liv. III, 47, 3; XXI, 53, 6; velut concionabundus Tac. ann. I, 17; velut gratulabundus Just. VI, 8, 13; velut exsultabundus Justin. XVIII, 7, 10; velut deliberabundus Liv. I, 54, 6; II, 45, 7; tamquam noscitabundus Gell. V, 14, 11; quasi vitabundus Sall. Jug. 38, 1; 60, 4: haud secus quam venerabundi Liv. V, 41, 8. Non raro idem adjectivo *similis* participiis praesentis temporis addito significatur: fluctuanti similis Liv. VI, 13, 3; expiranti similis Curt. III, 5, 4; imploranti similis Virg. Aen. VII, 507; cognoscenti similis Ov. Met. II, 501; lugenti similis id. VI, 531; similis crudele minanti id. VIII, 467; similis furenti. Consol. ad Liv. 317. Diomedem autem in exemplo e Sallustio describendo non ita diligentem fuisse ostendemus, quum enim ipse quoque ad bellum Jugurthinum respiciat, haec ejus verba sunt: Legimus apud Sallustium: vitabundus, inquit, per saltuosa loca recedebat. Sallustius vero scripsit (Jug. 38, 1): At Jugurtha, cognita vanitate atque imperitia legati, subdolus ejus augere amentiam, missitare supplicantis legatos, ipse quoque quasi vitabundus per saltuosa loca et tramites exercitum ductare. Accedit, quod Ribbeckius, etiamsi Diomedes voculam quasi reticeat atque supprimat, verbaque ex memoria non tenacissima dictaverit, simul hunc simul Servium ad locum Sallustianum auctores citavit. Praeterea de vitationis simulatione nusquam alibi agitur: Sall. Jug. 101, 9: vitabundus inter tela hostium erumpit. Sall. Hist. III, 19 D: vitabundus classem hostium ad urbem pervenit. Liv. XXV, 13, 4: vitabundus castra hostium consulesque. Tac. Hist. III, 37: Vespasiani nomen suspensi et vitabundi circumibant. — — Moribundum a morituro et Diomedes et Servius dijudicaverunt; ille: moriturus licet mortem non sit subiturus, nihilominus similis morituro, hic: moribundus non vere (moriturus) sed similis morienti. Omnia ea pariter vana sunt; nam ne morituri quidem semper moriuntur sed si in eo est, ut moriantur, saepenumero servantur. Tenenda est utique una eademque significatio:

---

[110]) de linguae Latinae eleg. IX.

mortis plenus, quod efficacius est quam morti propositus vel mortem oppetens. Virg. Aen. VI, 851: viribus illa carens et jam moribunda. Plaut. Bacch. II, 2, 15: minus valet, moribundus est. Ov. Trist. IV, 5, 3: cujus ab alloquiis anima haec moribunda revixit. Lucr. III, 104: animam moribundo corpore fudit; id. III, 130: (ventus vitalis) moribundos deserit artus; ibd. 233: tenuis enim quaedam moribundos deserit aura. Virg. Aen. V, 84: resupinus humum moribundo vertice pulsat. Aen. XII, 118: quo plangente gravem moribundo vertice terram. Aen. VI, 291: imposita fratri moribunda relanguit ore. Aen. IV, 323: cui me moribundam deseris; ibd. V, 374: fulva moribundum extendit arena. X, 716: fulva moribundum stravit arena. Liv. XXVI, 15: ante pedes imperatoris moribundus procubuit. Liv. I, 40, 7: Tarquinium moribundum excepissent. Liv, II, 6, 9: moribundi ex equis lapsi sunt. Virg. Aen. X, 590: excussus curru moribundus volvitur arvis. Ov. Amor. III, 7, 69: quin istic moribunda jaces, pars pessima nostri. Cic. Sext. 39, 85: jacentem moribundumque vidistis. Apul. mag. c. 50 p. 509: moribundo corpore cessante anima cadunt. Stat. Theb. VIII, 642: hoc solum precatur moribunda vox generi. Aen. X, 341: dexteraque ex humero nervis moribunda pependit. Hoc quoque in loco, qui maximi ponderis apud Servium est, grammatici levitas deprehenditur, nam nemini persuaseris, dexteram ex humero nervis moribundam pendentem morienti similem esse, sed unusquisque continuo videt intermorientem significari. Majorem dubitationem afferunt duo alii loci scriptorum, alter Virgilii, alter Catulli, ad quam tollendam ipsi proferantur. Virg. Aen. VI, 732: Igneus est ollis vigor et coelestis origo Seminibus, quantum non noxia corpora tardant, Terrenique hebetant artus moribundaque membra. Servius: morienti similia i. e. semper morientia: nunquam enim in eodem statu sunt, sed aut minuuntur aut crescunt; ergo animus idem est sed uti viribus suis non potest propter corporis conjunctionem. Quae explicatio ad nihilum recidit, quoniam ex verbis Servii: semper morientia nostra interpretatio facillime elicitur, ut membra intermorientia, quae modo explicavi, etiam huc referenda esse videantur; membra enim semper sive usque morientia animo impedimento esse oportet. Difficillimus est Catulli locus (79, 3): Iste tuus moribunda a sede Pisauri Hospes, inaurata pallidior statua. Forcellinius: Moribunda hoc est mortifera propter aërem pestilentem, ex quo incolae ita pallidi sunt, ut moribundi esse videantur. Recte ille quidem; nam moribundus hic locus vocatur, quum proprie homines sint, itaque locus quasi intermori videtur, hominibus intermorientibus.

Jam vero, quoniam veteres grammaticos exemplis similitudinem probantes refellimus eosque quasi suis ipsorum gladiis suisque telis jugulavimus: Scaligerum adhibebimus, non quod omnia ad veritatem dixerit, qui Apollinarem fere secutus sit, sed quod inter recentiores primus ex originatione significationem excutere conatus est. Sic evenit etiam, inquit, in alia terminatione undus; magnitudinem namque indicat, ceterum non solius quantitatis, immo vero habitum quendam. Neque vero dubium est, quin a maris excessu naturam nacti sint, quippe ab undis; vulgo etiam dicimus maria de re immensa: sic Catullus, quum multa proposuisset, etiam majora fide, subdidit, cetera sunt maria. Sed de his alibi. Eorum autem materia talis est, ut quaedam b habeant, alia c. Populabundus, iracundus, rubicundus, verecundus: quorum origo a futuro verborum ducta significatum expressit perpetuationis: ut populabundus non solum qui populatur sed etiam populabitur. Pauca ad praesens respexere, ut iracundus ab eo est quod est irasci, exemto sibilo, quasi qui semper irascatur. Ne que vero habitum illum cum excessu solum indicant sed etiam vehementiam quandam atque exstantem praeter modum exsuperantiam in rebus inanimis, quasi quum dicas mare fluctuabundum vel, ut ait Gellius, undabundum. In rebus autem voluntate praeditis etiam ostentationem sive professionem atque etiam, ut ita dicam, satagentiam. Nam quemadmodum differt verbale a participio, ita a verbali genus hoc nominum. Pugnare potest quivis atque erit pugnans, pugnator longe alio modo idem significat, addit enim habitum sciendi pugnas. Sic populans et populator, at populabundus hoc apponit insuper, ut palam prae se ferat animum ac spiritum populatoris.[111]) Verum haec quidem hactenus; nam cum antea multa, quae dixit, praetermisimus, tum quae postea adjungit, non digna sunt, quae posteris prodantur. Verumenimvero vir sagacissimus fere omnia divinavit, quae nostra memoria recocta sunt, et

[111]) Scal. de causis ling. Lat. IV p. 243—245.

praecipue comparationis linguarum et distractionis verborum inventores atque principes fraterna unanimitate cum eo conjuncti videntur, qui ipsi quoque originationis aut a praesente vel futuro aut ab inchoativis simili suffixo formatis faciendae mentionem faciunt; praeterea illas voces non participia sed verbalia esse statuunt, quum ambiguitas notionis, neque praesente neque futuro, neque actione neque passione assumta, dissolvatur. Consenserunt Pottius, Leo Meyerus, Holtzius[112]), non modo notionem participiis similem sed etiam continuationem quandam et efficacitatem in talibus vocabulis subesse; sed suo Marte, ut dicitur, semper actionem, nunquam passionem significari addiderunt. His Corssenius ita assentitur, ut et ex derivatione, quam supra proposui, et ex usu veterum concludat, nunquam aut gerundiis aut verbalibus bundus finitis actionis, passionis, temporis, necessitatis vim adjunctam esse, sed, quam verba habeant notionem, ejus diuturnitatem et stabilitatem illis exprimi. Cui sententiae magna probabilitate legentem delenienti suffragantem argumenta quaedam recentiorum non mediocriter adjuvabunt. Primum enim Holtzius, Neuius, Corssenius probant, actionis effectionem, non passionem gerundivis indicari; volvundum enim eum esse, qui volvat; oriundum, qui oriatur; placendam dotem — — quae placeat; puppim pereundam, quae pereat[113]). Deinde litteratis notum est, ultimo demum seculo imperii Romani gerundiva sensim futuri vim accepisse[114]). Postremo Holtzius in nominativo gerundii necessitatis significationem verbo substantivo addito effici demonstrat; quod, ubi ad verba aut formas verbornm, quae solam actionem designant, adjungatur, neque existere tantum res significet, neque copulae nudae habeat vim, sed modalem aliquam potestatem, neque multum absit, quin vel fieri actionem posse vel necesse esse indicet[115]). Nominativum quoque gerundivorum olim cum casibus objectorum junctam esse exemplis docetur[116]), sed eum usum in gerundivis classici non receperunt, in verbalibus ex assiduis scriptoribus Livius et Sallustius fere soli frequentaverunt. Plerumque verbalia subjectis addita invenies praecipue, ut movendi, sentiendi, dicendi ratio magis etiam declaretur: praedabundum pervenire Liv. II, 26, 1; vagari Tac. ann. III, 39; venire Sall. Jug. 95; — populabundum excurrere Liv. I, 15, 1; vagari Liv. II, 60, 2; III, 5, 15; IV, 50, 5; descendere Liv. IV, 21, 8; ad urbem venire Sisenna ap. Gell. XI, 1, 5; ire Liv. III, 3, 10; accedere Liv. III, 66, 5; cunctabundos et resistentes egressos castris esse Liv. VI, 7, 2; venerabundi templum iniere Liv. V, 22, 4; errabundi pervagari Liv. I, 29, 3; tremebunda ad aram deducta est Lucr. I, 96; venerabundi intuebantur Liv. V, 41, 8; mirabundi conspicerent Liv. IV, 45, 8; alii alios intueri mirabundi Liv. XXXIII, 32, 7; lacrimabundus — — inquit Liv. III, 46, 8; minitabundus — — juberet Liv. II, 12, 12; minitabundus petebat Liv. XXXIX, 41, 3. Rarius, sed non immutata notione, cum aliis casibus junguntur; ex quo genere haec modo commemorentur, ne omnia, quae supra per occasionem attuli, huc transscribantur: moribundum extendit arena Virg. Aen. V, 374; stravit arena Aen. X, 716; moribundum pepulit hasta Sil. 17, 302; moribundum excipere Liv. I, 40, 7; deserere Virg. Aen. IV, 323; Lucr. III, 233; explicat artus Sil. 2, 147; — tremebunda tela torquere in hostem Sil. 5, 628; tremebundam figere ibd. 4, 537; — nova res mirabundam plebem convertit Liv. III, 38, 8; — — ita ridibundum et hilarem huc adduxit simul Plaut. Epid. III. 3, 32; eum verberabundum adducam domum. Plaut. fragm. 30 M. Sid. ep. I, 6 fin: nobilem latitabundum pauperis honorati sententia premet. — — *Cic. Sext. 7, 15:* traductione ad plebem furibundi hominis ac perditi. Justin. XXXVIII, 8, 10: quae omni studio occultanda pudibundo viro erant. — — Voce queribunda Cic. Sall. 10; leniter tremebunda auct. ad Her. III, 14, 25; manu tremebunda Cic. dom. 52; festinabunda Val. M. II, 85; tremebundis lacertis Sil. IX, 41; moribundo corpore Lucr. III, 1045; Apul. mag. c. 50 p. 509; vertice Virg. Aen. V, 84; illapsu furibundo Sil. 3. 463; furibundis gressibus Sil. 2, 546; mendicabunda prece Aug. ep. 140; — — transacto tremebunda per ubera ferro Sil. 2, 648; urbem a comessabundo rege deletam esse Curt. V, 7, 10; moribunda a sede Pisauri Catull 81, 3. Quamquam autem multis eorum exemplorum, quae collegi, magis etiam firmatur, quod jam supra docui, verbalia ejusmodi adjectivorum naturam induere: tamen ea praedicati loco ter quaterve me legere memini: Plaut. Bacchd. II, 2, 15: minus valet, moribundus est. Gell. II, 30, 3: mare est etiam atque etiam undabundum. Gell. XI, 15: laetabundus is dicitur, qui abunde laetus est.

His igitur expositis, restat, ut identidem moneam, in quam angustum quasi gyrum traditorum verbalium usus compellatur; neque tamen dubito, quin illa quoque gratiam habere possint, si modo in loco modiceque quasi spergantur. Nova formare non ausim; nam etiamsi Cicero, si opus erat, verba finxerit, Horatius nomina praesente nota signata procuderit: nobis eadem ratione Latinum sermonem ditare non licebit, quippe quibus ille non patrius sit, cujus jus et arbitrium ab infantia calleamus.

[112]) synt. prisc. scr. Lat. II, 46. — — [113]) Holtz. l. l. II, 47; Neue p. 262, 11; Corssen p. 125. — — [114]) Neue p. 292. — — [115]) Holtz. II, 48. — — [116]) Corssen p. 133. — —

Schulnachrichten.*)

A. Chronik der Anstalt seit Ostern 1868.

Das Schuljahr begann den 20. April 1868 und wird den 23. März 1869 geschlossen werden. Die Ferien währten zu Pfingsten vom 30. Mai bis 3. Juni, in den Hundstagen vom 9. Juli bis 5. August, im Herbst vom 26. September bis 5. October, im Winter vom 23. December bis 4. Januar.

Aus dem Lehrercollegium waren mit dem Schlusse des vorigen Schuljahrs ausgeschieden: der um Entwicklung und Organisation der Anstalt hochverdiente Director G. Stier, welcher seit Ostern 1862 an der Spitze unserer Schule stand; der Oberlehrer Dr. R. Schultze, seit Ostern 1858 an unserer Schule wirkend; und der Candidat des höheren Schulamts A. Wicht, Ostern 1867 als wissenschaftlicher Hülfslehrer hierher berufen. — Ostern 1868 traten dafür ein: Dr. P. Schmieder als Director durch Wahl des Curatoriums; als wissenschaftliche Hülfslehrer, zugleich zur Ableistung ihres Probejahrs, Dr. R. Hanncke aus Tilsit, seit Mich. 1867 als commiss. wissensch. Hülfslehrer am Gymnasium zu Dortmund angestellt, und Hr. Cand. phil. J. Rohleder aus Stargard. Die durch Weggang des Dr. Schultze erledigte 4. Oberlehrerstelle wurde durch Ascension besetzt; in die dadurch frei werdende Stelle des 7. ord. Lehrers trat der bisherige wissensch. Hülfslehrer Dr. A. Janke ein, in die vom 1. Januar d. J. ab neu errichtete 8. ord. Lehrerstelle der wissensch. Hülfslehrer Dr. R. Hanncke.

Während des Wintersemesters fungierte als Stellvertreter des Zeichenlehrers Maler Baumgarten, welcher zum Besuch der Centralturnanstalt in Berlin beurlaubt war, Hr. Meier aus Erdmannsdorf in Schlesien.

Mit dem Schlusse des Schuljahrs scheiden aus dem Lehrercollegium: der Zeichenlehrer Maler Baumgarten, seit Ost. 1864 an unserer Anstalt, um als Zeichenlehrer bei der Realschule in Braunschweig einzutreten, und die wissensch. Hülfslehrer Cand. Stier und Rohleder; Hr. Stier geht als ord. Gymnasiallehrer an das Gymnasium nach Mühlhausen, Hr. Rohleder als Collaborator an das Gymnasium in Stettin.

Der Gesundheitszustand der Lehrer war im allgemeinen ein günstiger; nur Herr Meier, der am 20. October an einem typhösen Fieber schwer erkrankte, war länger zu vertreten (20. Oct.—22 Dec.); und Hr. Cantor Schwartz war vom 1. Febr. an bis auf einige Tage durch Unwohlsein an das Haus gefesselt.

Ausserdem wurde Dr. Seelmann-Eggebert durch Einberufung zu einer Dienstleistung als Landwehr-Officier bei dem Infanterie-Regiment Nr. 54, vom 1. Mai—11. Juni der Schule bis auf einzelne Stunden entzogen. Dr. Stier war wegen persönlicher Angelegenheiten vom 1.—5. Dec., Dr. Meffert vom 8.—12. Febr. d. J., Herr Meier vom 11. März an beurlaubt.

Von den Schülern haben nur wenige wegen Krankheit auf längere Zeit die Schule versäumt. Vier entriss uns der Tod. Der Vorschüler Georg Pahnke starb am 30. April, vierzehn Tage nach seiner Aufnahme, ohne die Schule besucht zu haben. Die Beerdigung fand in der Stille statt. — Am 23. April starb der Gymnasialtertianer Johannes Maass nach fünfwöchentlichem Leiden an den Folgen eines Falles in ein umlaufendes Mühlrad, bei dem er keine äussere Verletzung erlitten hatte. Am 24. Mai erlag der Quintaner Max Sockold einem Gehirnleiden, wodurch er schon seit dem Schluss des Wintersemesters an das Krankenlager gefesselt war. Am 22. Juni ertrank der Realsecundaner Immanuel Lange beim Baden in der See. Sämmtliche Lehrer und ein Theil der Schüler gaben ihnen das letzte Geleit.

Die gemeinsamen Andachten wurden wie früher in vierteljährlichem Wechsel abgehalten, Montags zur Eröffnung der Schulwoche von Oberl. Jacob, dem Berichterstatter, Cand. Neumann, Cand. Stier; Sonnabends die Schlussandacht vom Berichterstatter, Dr. Winckler, GL. Schieferdecker.

Folgende Tage verdienen noch eine besondere Erwähnung:

Am 20. April fand die feierliche Einführung des Directors durch den Königl. Provinzial-

*) Aeusserer Verhältnisse wegen müssen die Schulnachrichten in diesem Jahre möglichst kurz gefasst werden.

Schulrath Hrn. Dr. Wehrmann statt unter Theilnahme der städtischen Behörden, in Gegenwart des Lehrercollegiums, der Schüler und einer zahlreichen Versammlung von Freunden der Schule.

Am 19. u. 20. Juni unternahmen die oberen Klassen unter Führung des Turnlehrers Dr. Fiedler und in Begleitung mehrerer Lehrer eine Turnfahrt nach dem Jamundschen See. Am 19. Marsch nach Nest, am 20. Fahrt über den See, Marsch über Zanow und den Gollenberg nach Cöslin; von da Rückfahrt auf der Eisenbahn. Die mittleren Klassen gingen mit ihren Ordinarien am 20. nach dem Kämitzsee, die Quintaner nach Zwielipp, die Sextaner und Vorschüler nach näheren Punkten der Umgegend. Die Direction der Berlin-Stettiner Eisenbahn gestattete auch in diesem Jahre unsern Turnern auf Billets zur vierten Klasse die dritte Klasse zu benutzen.

Am 2. Juli, dem Gedächtnistage für die siegreich bestandene Belagerung Colbergs im J. 1807, wurde zur Theilnahme an dem Festgottesdienste in dem Dom und an dem Volksfeste in der Maikuhle von 9 Uhr an freigegeben.

Am 24. u. 25. August fand das mündliche Abiturientenexamen am Gymnasium und der Realschule statt, und am Vormittag des 25. besuchte der Königl. Commissarius Hr. Prov.-Schulrath Dr. Wehrmann den Unterricht in mehreren Klassen. Die öffentliche Entlassung der Abiturienten durch den Director erfolgte am 19. September.

Am 3. September wohnte Hr. Eckler, Civillehrer der Central-Turnanstalt, der im Auftrage des Herrn Ministers der Geistlichen etc. Angelegenheiten die Provinz bereiste, um vom Betrieb des Turnens Kenntnis zu nehmen, den Turnübungen in der Maikuhle bei.

Die gemeinsame Communion begingen Lehrer und Schüler am 28. October (20. p. Trin.).

Die Feier zum Gedächtnis der Frau Dorothea Krolow wurde in stiftungsmässiger Weise durch Rede des Directors und Aufführung einer Figuralmusik am 6. Febr. d. J. Vorm. 11 Uhr begangen.

Am 25. Februar Vorm. 11 Uhr wurde in herkömmlicher Weise im Kreise der Schule das Andenken des Colberger Dichters Ramler gefeiert und dabei von dem Vorstande des Vereins zur Erhaltung des R.schen Denkmals (Hrn. Justizrath Götsch, Hofprediger Stumpff und dem Unterzeichneten) unter den Concurrenzarbeiten der älteren Primaner über das Thema: Preussens Siege Deutschlands Heil den Arbeiten der Primaner A. Guse und F. Strehlow je die Hälfte des Preises von 30 Thalern zuerkannt.

B. Verfügungen des Königlichen Provinzial-Schulcollegiums von allgemeinerem Interesse.

